

Lunae die 18° m. Decembris a° 1989°
A.d. XV Kal. Ianuarias MCMXC

Melissa

N^{US} 33^{US}



M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02/ 735 04 08

**IN HOC MULTIZONIO BRUXELLENSI
DOMUS LATINA
INAUGURATA EST !**



DOMUS LATINA



FUNDATIO MELISSA
TEL. (02) 735 04 08

Legatis p. 16

EUROPALIA 89

日本


IAPONIA IN BELGIO : CIRCA ARTEM «NAMBAN»

In Bruxellensibus «Muséis Artium Historiaeque», iuxta «Arcum Quinquagenarii» sitis, usque ad mensem Decembrem obire licet unam ex praestantissimis expositionibus, quae pertinent ad hornotina «Europalia». Nam ibi exponuntur libri, ustensilia, tabulae pictae, arcae, pyxides..., omnia exquisita, pretiosa splendidaque, quae servantur in Museo Artis Antiquae Olisiponensi (v. Lisboa). Confecta sunt ab artificibus Iaponibus a XVI saeculo, quo tempore Lusitani, primi Europaeorum, in Iaponiam appulerunt. Iapones suo more depinxerunt illos «Barbaros ex meridie advectos», id est Iaponice «Namban-Jin», unde huius artis nomen «Namban». In Iaponia etiam sunt collectiones operum artis Namban, quarum praestantissima est collectio Ikenaga in urbis Kobe Museo Artis. Nihil tamen harum collectionum monstratur Bruxellis.

tores, mercatores, procuratores, sacerdotes missionarii que vehebantur ad emporia iam condita in litoribus Oceani Indici. Qui homines «Statum Lusitanum» in India condiderant, cuius urbs caput vocabatur Goa. Eorum tamen nonnulli regis iugum excutiebant atque pro se quisque facinora, negotia inventionesque faciebant. Hi ausi sunt mare Sinicum explorare, quamquam inter annos 1513 et 1522, rex Lusitaniae inane conatus erat pactum facere cum Sinarum regentibus. Quorum tamen exploratorum opera Sineses paulatim assuefacti sunt commercium cum Lusitanis facere atque circiter post viginti quinque annos tandem potestates urbis Canton, in meridionali Sinarum litore sitae, siverunt Lusitanos emporium in proximo condere c.n. Macaum, quod penderet a «Statu Lusitano Indiae».

Ex his sui iuris exploratoribus sunt ei qui insulas

Iaponicas primi invenerunt. Anno enim 1542 vel 1543 (accuratius non constat) Lusitani nautae appulerunt ad parvam insulam Tanegashima vocatam, quae sita est in extrema meridionali parte globi insularum Iaponicarum. Primae informationes de rebus Iaponicis, in ipsis insulis collectae, missae sunt a Francisco Xaverio, Iesuita Hispano; primam epistolam in Iaponia anno 1549 conscripsit, quae cum in Europam post nonnullos menses advenisset, anno 1551 imprimata atque divulgata est. Post hanc epistolam «Litterae annuae» Iesuitarum ex Extremo Oriente continenter missae sunt, e quibus hauritur magna copia informationum.



Hae sunt naves nigrae Lusitanorum tales quales eas depinxerunt Iapones.

XVI saeculo reges Lusitaniae, qui potestatem mercaturamque Lusitanam longius ad Orientem extendere non desinebant, quotannis classem Olisipone instruebant, qua complures centeni homines, bella-

Franciscus Xaverius, missionarius cui munus erat fidei christianae in Oriente propagandae, cum regis Lusitaniae annua classe Olisipone solvit ad «Statum Lusitanum» Indicum anno 1542, id est eo


ipso tempore quo primi Lusitani ad insulas Iaponicas appulerunt. Sed hoc, ut ceteri in Europa, ignorabat. Cum peregrinaretur circum Oceanum Indicum navis qua vehebatur, anno 1547 stationem fecit in portu Malacca in paeninsula eiusdem nominis. Ibi Iapones mercaturam facere solebant, quorum cum tribus Xaverio licuit sermocinari. Quo inexpectato occurso impulsus statuit insulas Iaponicas petere: die 15 mensis Augusti anno 1549 in meridionale litus insulae Kyushu egressus est prope oppidum Kagoshima, unde in annum 1551 primam missionem christianam in Iaponiam magno cum fructu duxit.

nesia infestabant, facilius repellebant.

Lusitanorum commercium artissime coniungebatur cum fidei christianae propagatione. Franciscus Xaverius primam missionem duos annos et tres menses in insulis Iaponicis mansit, intra quos multis in locis praedicare potuit etiam in urbe capite Kyoto. Approbationem movit nonnullorum dynastarum (Iaponice «daimyō»). Post hanc primam missionem advenerunt multi alii sacerdotes, Iesuitae imprimis, postea Franciscani et Dominicani. Circiter duodecim dynastae, cum fide christiana tum quaestu allecti, post annum 1563 baptizati sunt. Oda NABUNAGA* etiam, huius temporis dictator, christianismo favit. Multae ecclesiae exstructae sunt necnon seminaria, v.g. in oppido Azuchi prope Kyotum. Ut religionem christianam late docere possent, missionariis necessarium erat bonam notitiam linguae Iaponicae acquirere. Sic factum est ut Lusitani grammaticam Iaponicam discere deberent necnon lexica bilingua conficere. Hic monstratur frons rarissimi libri c.t. «De institutione grammatica - Libri tres», anno 1594 editi, qui in usu fuit in Collegio Amacusensi Societatis Iesu.

Anno 1569 dynasta OMURA Sumitada, qui iam christianus factus erat, Societati Iesu, id est Iesuitis, concessit proprietatem portus Nagasaki. Iesuitae nuntiare potuerunt ducenta circiter milia Iaponum se ad fidem christianam iam convertisse. Etiam missionarii Iapones docebantur.

Quibus prosperis condicionibus impulsus Alexander Valignano, missionum in Extremo Oriente visitator, legationem nobilium iuvenum Iaponum ad Vaticanum instituit. Qui iuvenes Nagasaki solverunt anno 1582; post iter duorum annorum, intra quod longam mansionem in urbe Goa fecerunt, die 10 mensis Augusti anno 1584 Olisiponem pervenerunt.



In huius libri fronte videmus insigne quod Iesuitae in Iaponia sibi elegerant, id est sol radiis circumdatus in quo medio continentur tres litterae capitales IHS (Ἰησοῦς Χριστὸς Σωτήρ), crux et tres clavi crucifixionis.

Ut supra iam dixi, anno 1557 urbis Canton potestates (qui in Sinis appellantur mandarini) portum Macaum Lusitanis concesserunt. Inde eorum magnae naves nigrae transportabant e Sinis in Iaponiam, praesertim in portum Nagasaki, serica (Iapones etiam serica fabricabant, sed praeferebant Sinensia), piper, moschum et pulverem pyrium; ex Iaponia reportabant argentum, cuprum et arma chalybeia (enses et lanceas). Cur Lusitani in hoc commercio ipsos Sinenses Iaponesque superarent, eo fiebat quod naves multo maiores altioresque habebant unde piratas («Wako» vocatos), qui tunc temporis litora Si-

DE MISSIONE LEGATORVM IAPONEN sium ad Romanam curiam, rebusq; in Europa, ac toto itinere animaduersis DIALOGVS

EX EPHEMERIDE IPSORVM LEGATORVM COL-
LEGTVS, & IN SERMONEM LATINVM VERSVS
ab Eduardo de Sando Sacerdote Societatis
IESV.



In Macaensi portu Sinici regni in domo
Societatis IESV cum facultate
Ordinarij, & Superiorum.
Anno 1590.

* Iapones praenomen post nomen gentilicium scribere solent; sed cum hanc consuetudinem non ubique respiciamus, nomen gentilicium Iaponum litteris capitalibus scribimus.


Postea itinere terrestri transierunt Lusitaniam, Hispaniam, ubi in aulam regis Philippi II recepti sunt, Provinciam Italianamque. Papa Gregorius XIII, qui eos Romae receperat, paulo post vita functus est. Sic evenit ut inthronizationem papae Sixti V die 15 mensis Aprilis anno 1585 celebratam spectare possent. Cum in patriam reversuri, Olisipone die 8 mensis Aprilis anno 1586 solverent, omnes quos in Europa convenerant admirabantur eorum dignitatem urbanitatemque. In portum Nagasakium appulerunt die 21 mensis Iuli anno 1590 post absentiam octo annorum, intra quam condicio christianorum in Iaponia valde improspere facta erat. Sed de his fusius postea.

De primo occurso Europaeorum Iaponumque non solum supersunt monumenta Europaea sed etiam Iaponensia. Nonnulla admirari possumus in expositione artis «Namban». Ibi enim monstrantur splendidae parietes mobiles (Iap. Byobu, Fr. «paravents», cuius significatio minus congruit cum rei usu, quam locutio Latina «parietes mobiles»), ubi delicatissime accuratissimeque ab artificibus Iaponibus des-

funé, quod legitur in textibus Iaponicis) appulsa mercibus e Macao transportatis abundat, praesertim sericis; in dextra pariete pompa Lusitanorum in via Nagasakii procedit certo ordine: praecedit capitaneus splendide vestitus umbellaque a sole tectus, sequuntur nautae inter quos Africani nigri. Ecclesia distinguitur cruce. Inter spectatores sunt Lusitani Nagasakii habitantes, qui parva fumacula Iaponica sugunt, vel Iesuitae longis atrisque paenulis induti. Sunt etiam parietes, ubi praeter Iesuitas agnoscuntur Dominicani et Franciscani. Nam bulla anno 1608 edita Papa siverat hos duos ordines una cum Iesuitis insulas Iaponicas evangelizare.

In parietibus etiam depinguntur cathedrae, Lusitanis omnino necessariae sed Iaponibus ignotae. Optimates tamen Iapones eis libenter usi sunt, postquam Pater Valignano, Societatis Iesu visitator, anno 1581 cathedram auratam dictatori Odae NABUNAGA obtulit, in qua statim sedit.

In expositione artis «Namban» etiam ostenduntur tabulae pictae quarum artifices, etsi materia sit christiana et ars generis Europaei, tamen sunt Iapones.



*Pars parietum mobilium scholae Kano; personae pictae sunt in foliis auratis.
Capitaneum Lusitanum sequuntur famuli Africani cum flabello.*

cribitur vita Lusitanorum in Iaponia. Huius generis parietes mobiles confectae sunt ab anno 1593 ad annum 1680. Bruxellis exponuntur bis binae parietes a pictoribus scholae «Kano» ornatae, cuius conditor est KANO Masonobu, qui videtur fidem christianam amplectus esse.

Themata solita artis Namban ibi admirabiliter depinguntur: in sinistra pariete «navis nigra» (Iap. koro-

Nam Iesuitae in Iaponiam accesserant Iohannem Niccolo, qui ab anno 1583 in seminario oppidi Fachiravo modum pingendi Europaeum Iapones docuit. Hi post breve tempus magistrum artificio adaequaverunt.

Cum primum in Iaponiam appulerunt Lusitani, arma ignivoma Iaponibus omnino erant ignota. Qui primi Lusitani in insulam Tanegashima egressi, ut

sibi faveret insulae dominus, et inter alia dono dederunt sclopetum. Statim armorum fabri Iapones, qui iam magnam famam consecuti erant in armis chalybeis conficiendis, hoc exemplar imitari valuerunt. Nonnulla ex his primis ignivomis armis Iaponicis, sclopetum et pistolia, ostenduntur. Quae arma ab ordine bellatorum (qui Iaponice appellantur «samourai») despiciebantur, sed magno usui fuerunt dictatoribus, qui vergente XVI saeculo Iaponiam in solam dicionem administrationis centralis iterum redigere coeperunt.

Inter artificia quae in expositione «Namban» ostenduntur sunt perpulchra specimina «laccarum» ornatarum. «Lacca» est liturae genus, Extremi Orientis proprium; paratur ex humore qui effluit ex inciso cortice arboris, cui nomen Iaponicum «urushi». Quo humore homines aetatis neolithicae iam illinebant

vasa, quae fierent impermeabilia. Ars laccae ornatae crevit in Sinis et in Corea unde in Iaponiam introducta est. Apud Iapones tamen postea inter omnes excelsit. Ad significandum «humore «urushi» illinere» Iesuitae vocabulum Hispanicum finxerunt quod est «uruxar»; quod fortasse Latine reddere possumus vocabulo «uruzare». Laccae ad ornationem adhibitae sunt sive nigrae (ferri hydroxydo tinctae) sive rubrae (cinnabari tinctae); pretiosiores laccae auri pulvere sparguntur.

Ipsi Iapones suam historiam dividere solent in inaequales temporis tractus, quibus singulis nomina propria imponunt. «Muromachi» (1392-1568) vocatur tractus, quo vergente Lusitani Iaponiam invenerunt. Post multa bella intestina, medio XVI saeculo, praetorium (Iap. «bakufu») dictatoris (Iap. «shogun») revertit Meacum (sive Kyotum) ad imperatoris aulam. Quo plus aula siverat augeri praedia privata (Iap. «shōen»), eo minora facta erant vectigalia. Quare aula commercio tum intestino cum extraneo favit, cui tributa portoriaque imponeret. Inde factum est ut mercatores Iapones circumirent Asiam meridionalem orientalem, insulas Philippinas necnon Indiam atque emporia conderent in paeninsula Indosinensi. Hac de causa evenit ut Franciscus Xaverius anno 1547 Iapones conveniret in portu Malacca, ut iam narravimus.

Administratio tamen centralis omnem potestatem perdiderat et globus insularum Iaponensium dividebatur in 250 circiter partes, quarum singulae regebantur a dynasta (Iap. «sengoku-daimyō»). Hae condiciones maximo emolumento fuerunt advenientibus Lusitanis. Facilius enim erat inter multos



Hic famulus portat cathedram capitanei.

dynastas nonnullos allicere, quam unum, si omnipotens in Iaponia fuisset. Quae tamen condiciones non diu manserunt. Nam Oda NABUNAGA, juvenis dynasta (Iap. «daimyō») coepit Iaponiam iterum unire. Parvum tantum regebat territorium in insula Honshu, sed callidus strategus erat. Complures dynastas devicit, unde eius potestas tam crevit ut anno 1568 potiretur urbe capite Meaco (sive Kyoto), ubi dictatorem gentis Ashikaga dignitate removit. Quo facto terminatur tempus Muromachi incohaturque tempus Manoyama. Oda NABUNAGA perrexit ceteros dynastas quin etiam monasteria munita Buddhistica debellare. Primus in bellando usus est armis ignivomis; anno 1575 tria milia sclopetariorum secum ducebat, quorum perfodientes ictus maximi ponderis fuerunt in magno proelio apud oppidum Nagashimo, ubi iterum victor fuit. Tertiam Iaponiae partem in dicionem suam iam redegerat cum anno 1582 dolo trucidatus est. Ut supra diximus Oda NABUNAGA christianis non inimicus fuit. Contra eius successor, Toyotomi HIDEYOSHI, qui Iaponiam unire perrexit, christianismo diffidere coepit, quo in dies augebatur Europaeorum auctoritas in Iaponia...

(sequetur in proximo fasciculo)

Gatus LICOPPE

Legamus nunc ea quae Franciscus Xaverius ipse de itinere suo narrat in epistulis (quas profert B. VARENIIUS in Descriptione Regni Iaponiae, Amstelodami apud Ludovicum Elzevirium, 1649):

«In Iaponiam divino Numine obsecundante appulimus mense Augusto, cum Malaca solvissemus ipsa Natali S. Ioannis Baptistae die. Navigio vecti sumus ethnici mercatoris Sinae, qui Malacensi praefecto nos in Iaponiam transmissurum promiserat. Ac dei beneficio secundis sane ventis usi sumus. Verum (ut in barbaris perfidia dominatur) navarchus mutato consilio, omittere Iaponicae navigationis cursum coepit, ac temere in occurrentibus insulis terendi temporis gratia commorari. Duo erant, quae nos praeter cetera molestissime ferebamus: primum quod secundissimo vento divinitus oblato abuteremur, qui si defecisset, nequaquam possemus Iaponicum cursum tenere, sed in Sinarum finibus hiemare, et ido-

neam rursus tempestatem exspectare necessario cogere. Deinde, quod navicularius et nautae idolo, quod secum navi vehebant, passim nobis invitis et frustra impedire conantibus, exsecranda facerent sacra, sortibusque daemone identidem consulere, utrum ex usu esset in Iaponiam pergere, necne: et simul exquirerent, an secunda navigatione cursum tenere possemus. Ac sortes (ut ipsi aiebant) modo laetae, modo tristes edebantur. Milia passuum CCC profecti ad insulam quandam applicuimus navem, ibique materiam atque armamenta comparavimus adversus atrocissimas Sinici maris tempestates.

«Inde illi sacrificiis multis superstitione factis, eductisque denuo sortibus sciscitari ex daemone, utrum ventis secundis usuri essemus. Forte sors exiit, quae ventum nobis polliceretur secundissimum. Itaque nulla interposita mora, sublatis ancoris gratulabundi vela facimus. Illi idolo suo freti, quod in puppis cereis et odoribus ex Aquilano ligno incensis summe venerabantur: nos Deo caeli, terrarum marisque Moderatore ac Iesu Christo eius filio confisi, cuius religionis propagandae causa Iaponiam petebamus. In cursu cum essemus, visum est illis rursus ductis sortibus exquirere ex daemone, num ea navis ex Iaponia Malacam incolumis esset reditura. Edita sors est, in Iaponiam quidem eam perventuram, sed nequaquam reversuram esse Malacam.

«Tum vero illi haerere: demum omisso in praesentia cursu Iaponico apud Sinas hibernare, et Iaponicam profectionem in proximum annum differre statuunt. Ergo cum lente proveheremur, ad Cocinum, Sinarum portum, duo uno die sane graves nobis casus inciderunt. Nam die S. Mariae Magdalenae sacro, sub vesperam, intumescente fluctibus ventisque agitato vehementius mari, cum navis iactis ancoris fluitaret in salo, Emmanuel Sina, unus e nostris comitibus, navis iactatione prolapsus in apertam sentinam praecipitavit. Omnes illum mortuum credidimus, quod et alte ceciderat, et sentina aquae plena erat. Verum Dei beneficio mortem evasit. A capite obrutus umbilico tenuis aliquantisper haeserat in sentina. Itaque magno labore hominem extraximus graviter in capite vulneratum. Diu exanimis iacuit: sed Dei benignitate demum revocatus est ad salutem. Sub primam huius curationem, ecce tibi, pari navis iactatione, navarchi filia excutitur in mare, cumque propter vim tempestatis frustra ei optulari conati essemus, in parentis ipsius atque omnium oculis propter navem obruitur fluctibus. Ergo tanti eiulatus ac gemitus diem illum noctemque insequentem tenuerunt, ut species esset admodum flebilis ac miseranda vel ob maerorem barbarorum, vel ob nostrum omnium periculum. Inde barbari ad idolum sacrificiis ac ceremoniis placandum versi, diem noctemque totam, nulla quietis parte capta, mactandis avibus apponendisque idolo epulis consumpserunt. Tum navarcho, cur filia sua interisset, sortibus percontanti, sors editur: si Emmanuel noster in sentina perisset, eius filiam nequaquam fuisse perituram. Videtis profecto, quanto in periculo versaremur. Cum maris tempestas remisisset, sublatis ancoris vela fecimus, et lacrimabundi intermissum iter perreximus. Paucis diebus Sinarum portum (Cantonium ipsi appellant) cum tenuissemus, nautae atque ipse

navarchus ibi hiemandum esse censuerunt. Nos illis adversari, partim rogando, partim minitendo, de eorum perfidia cum praefecto Malacae ac Lusitanis expostulatuos. Itaque Deus pro sua bonitate eis mentem dedit, ut in Cantonis insulis non haerent, sed sublatis ancoris Cinceum peterent.

«Quodcirca secundo vento profecti, paucis diebus Cinceum, alterum Sinarum portum subituri erant eo consilio, ut ibidem hibernarent, quoniam iam cursus Iaponici tempestas paene exacta erat, cum subito navicula advolat ad nos, portum illum praedonibus obsessum esse nuntians, actum fore de nobis, si propius accederemus. Hoc nuntio commotus navarchus, et simul quod cerneret Cinceorum praedonum myaparones non amplius quattuor milia passuum a nobis abesse, ut praesens periculum vitaret, portum illum vitare constituit. Cumque ventus Cantonum portum repentem adversus, Iaponiam petenti secundus esset, invito navarcho, nautis, ipsoque diabolo, Iaponicum cursum tenuimus. Ita ad has regiones, tantopere a nobis exoptatas Deo aspirante pervenimus, ipso die Beatae Mariae in caelum assumptae sacro XVII Kal. Sept. anno MDXLIX.»

*
* *

POESIS LATINA

GRESSUS

Synthesis furvis redolens papillis
scit pyram florum, lacerum lacunar
liberat cursum prope destinatos
vestis hiatus
umbra raedarum meditatatur aegra
mox meum vultum pueris propinquum,
fit domi levis madidusque culter
quem manus auget
dissitos palpat mulier lacertos
antequam latus vacuum cubilis,
spem relicturum comitum, feratur
per scelus axis
tum tremor sinum legit invocatum
ac reluctantes animos coercet,
lingua complexus hilarat recisos
vel subit iram
impluit fuscis digitis chelidon
ut metum genis refluum cruentet
ostium procul trivii, deorsum
pausat horizon.

Maurus PISINI



DE PARTIBUS SOCIALISTARUM GERMANIAE

Quoniam sunt permulti in omnibus paene terris - vide Britanniam, Italiam, Galliam, alias - et de omnibus his quia agere non licet, de una sola parte agemus, de socialistis in Germania Occidentali democraticis, quod nobis exemplum sit ceterarum partium.

Nomen partis communistarum, ut iam diximus, inde ab anno 1918 inventum atque proclamatum erat, antea omnes istius doctrinae propugnatores socialistae nominabantur. In Germania societates operariorum fundatae erant illud Manifestum Communisticum a Carolo Marx et Friderico Engels conscriptum secutae, et Ferdinandus Lassalle - vir doctissimus qui quamquam Heracliti philosophi fragmenta nondum collecta erant tamen libros duos de Heracliti obscuri philosophia conscripsit! - mense Maio anni 1863 Lipsiae fundavit Societatem Operariorum Generalem: ille vir cupiverat socialismum adiuvantibus rei publicae potestatibus fieri, id quod deridebatur et a liberalibus et a conservativis - et ab ipso Carolo Marx! At mense Augusto anni 1869 Augustus Bebel et Guilelmus Leibknecht exstiterunt fundatores illius partis, quae nominabatur Pars Socialis Democratica Operariorum. Sic duae cum essent partes socialistarum, ad unionem coactae erant: quae unio anno 1875 Gothae facta cum esset, nova ex duobus istis partibus proclamata est Socialistica Pars Operariorum Germaniae. Quae nova pars politica a Bismarckio cancellario et a parlamento vetita cum esset, tamen suppressione superata melior pulchrior maior anno 1891 Erfordiae novum programma ostentavit, quod stricte Marxisticum a Carolo Kautsky elaboratum erat.

Quo e programme intra partem controversiae cum factae essent, paene fissa est pars in duas vel tres alas, revisionistas dico et centrum et sinistram. Nam revisionistae ideologiam socialisticam mutare parati doctrinam Caroli Marx falsam esse atque perversam contenderunt, et Eduardus Bernstein anno 1899 libro celeberrimo cum marxistam se professus tum Caroli Marx scripta omnia falsissima esse confessus est! Centrum autem partis illius - aliud intellegendum est atque Centrum quod erat Catholicum! - Augusto Bebel et postea Friderico Ebert moderantibus id egit, ut socialistae nemini essent odio, sed regimini rei publicae adessent. Sinistri vero, inter quos Rosa Luxemburg et Carolus Liebknecht (filius Guilelmi), contra Imperatorem Guilelmum contra rem publicam totam contra cives pugnantes rerum potiri cupiebant.

Mense Augusto anni 1914 etiam socialistae Imperatoris bellum adiuabant, sed mense Decembri eiusdem anni Carolus Liebknecht in parlamento optavit, ne res publica argentum et pecuniam isti bello praeberet. Quare factum est initium findendae partis: anno 1917 nova instituta est pars quae «Independens Pars Socialium Democraticorum» nominabatur; ex cuius sinistra ala primo anni 1919 Ianuarii mensis die Communistica Pars Germaniae evasit.

Bello autem atroci confecto sociales democratici (una cum Centro catholico et liberalibus) rem publicam Vimariensem et condiderant et adiuabant. Anno vero 1933 a socialistis nationalibus vetiti et e Germania expulsi exsillum petiverunt et Pragae et Londinae et in aliis civitatibus; erant et qui in patria remanerent et persecutionem passi in concentrationis campis mortem crudelem subirent.

Post vero et in Oriente et in Occidente surrexerunt sociales democratici. In Oriente autem, id est in regione a Sovieticis subacta, cum communistis collaborare cogebantur - id quod usque adhuc crudeliter fit! - quia communistarum et socialistarum partes uniri ab occupantibus Sovieticis iussae erant; in Occidente pars ista Curtio Schumacher praeside collaborationem talem omnibus cum viribus refutavit. Inde ab anno 1949 igitur usque ad 1966 in parlamento oppositionis sellas tenebant, ab 1966 usque ad 1969 in Magna quam vocant Coalitione cum Kiesinger cancellario regnabant, et ab 1969 usque ad 1982 regimen in Germania Brandt et Schmidt cancellariis habebant.

Quod autem maioris est momenti, quia ad ideologiam spectat, pars socialium democraticorum occidentalis partem classis solam se esse cum intellexisset, in partem popularem mutari cupivit. Quocirca anno 1959 novum programma, Godesbergense dico, promulgavit, quo effectum est, ut pars facta sit popularis. Hoc autem in programme legimus hanc de socialismi democratici formula sententiam: «Socialismus non perficitur nisi per democratiam, democratia per socialismum patrat». Qua de sententia quin iterum atque iterum disputandum sit, dubium non est. Sed nostra interest huius facti: novissimum partis programma iam scriptum, sed nondum promulgatum est, attamen certo scimus partem illam remanere partem popularem, et abrenuntiare classium pugnis de quibus loquuntur Marxistae.

Guilelmus BLUM Monacensis.

AB OBLIVIONE VINDICETUR...

PETRI NIGELLI ITER

(RUDOLPHI VAN OPPENRAAIJ CARMEN INEDITUM)



Ecce dies rediit pueris gratissimus unus,
a te nomen habet qui, Nicolae, suum.
Vix hodie natos prima iam luce strepentes
in lecto matris provida cura tenet.
Exspectata diu cupidos tandem evocat hora 5
inque domus atrium praepropere una ruunt.
Ordine stant crepidae, sed candidus inde caballus
omnia (mirandum!) pabula nocte tulit.
Circumfusa iacent caelestis dona patroni,
praemia virtutis; virgula tristis abest. 10
Quisque suum laudat certatim garrula turba,
exsiliunt hilares, tecta fragore sonant.
Pone fores mater per rimam spectat ovantes,
laetos fraude pia; laeta nec ipsa minus.
Ast antiqua cano! Pueri sic lusimus olim; 15
nunc pueri ludunt ingeniosa magis!
Pusio sexennis Nicolaum denegat esse;
dicta patris recinens mox negat esse Deum!
Caelicolis hodie - quae sunt haec impia saecula -
vix fumaria pauca, ostia nulla patent. 20
Simplicis ergo domus blandus confecerat Hospes
hac solito citius nocte iter omne suum.
Et iamiam tristis sursum remigrare parabat,
cum subito famulus talia Petrus ait:
«Ingenue fateor, sit fas mihi, sancte Magister, 25
me tanto in caelum mane redire pudet;
et quoniam nobis, eheu, non otia desunt,
aulas Europae visere tempus erat.
Dulciolis nulli magis est quam regibus usus,
ut lactent populos - scilicet id regere est! 30
Quodsi dedignare domos intrare superbas,
quidni me iubeas pergere Marte meo?»
Leniter huic Sanctus subridens pauca reddit:
«I, loquere audacter: verba loquere Dei».
Dixerat; et famulus rapidis simul oclor auris 35
iam Britannorum maxima in urbe stetit.
Atqui fama refert reges regumque ministros
anno hoc calceolos exposuisse suos,
seu fecere ioco, sive (id quod credere malim)
casibus oppressi sic moderante Deo. 40
Salsburgus fertur tragicum posuisse cothurnum

at vafer auxilium non liquet unde petat.
Ambiguus titulus namque est in margine scriptus,
Sancto qui placeat, qui placeat Satanae.
Haud tamen ambigue funes sibi postulat ille 45
ut male calcitrantum ora pedesque liget.
Legerat ista Niger magnaue expalluit ira,
mox breve rescriptum calceus ipse docet:
«Immo Iustitiae, Brito, si vincula solvas,
solvas Iubernam, sat tibi funis erit! 50
Sat tibi funis erit, tua tristia iussa sequentum
ut tandem iustus rostra manusque premas».
Per freta, quae Manicae referunt cum nomine for-
mam,
ingenti ad Francos transilit inde gradu.
Elysi ante fores stat Soccus, Maurica pellis, 55
artis opus - sumptus fiscus enim dederat.
Inscripta «ad Nigrum» latet intus epistula rubra.
Petrus: «Ehem!... Nigro?... Sed videamus», ait.
Magnus, nescio quis, nuper sine nomine civis,
regia, nescio cur, cui modo cessa domus, 60
fulmineis verbis «patrono» plurima scripsit;
verum, ut cuncta scias, haec tibi pauca satis:
«Cleri mitte pecus, Vicini crimina mitte,
non istos, credo, patria magna timet.
At si quae superest istic inferna potestas, 65
eripe Pistoris Gallica colla iugo».
Petrus ad haec: «Quoniam quae non mihi scripta
videntur
impudens legi, reddere pauca decet:
'Augias, stultum est scoparum caena pudere!
Atque utinam stabulis par foret iste tuis! 70
Sed cave ne surgens mox Robespierius alter
flumine sanguineo sordida septa lavet!»
Passibus hinc magnis Romam properare Nigellus,
inque Quirinam sese insinuare domum;

29 dulciolis: cfr Apul. met. 4,27

36 Britanni: prima syllaba producta: cfr Lucr. 6,1106

40 casibus oppressi: per varios casus ante corr.

41 Salsburgus: agitur dubio procul de Roberto Caecilio Salisbury (1830-1903), praeside ministrorum publicorum a. 1885-1892; 1895-1902.

50 Iuberna = Iuverna (cfr Iuv. 2,160) = Hibernia.

53 Manica: cfr Francogallice Manche.

57 rubra: etiam quod a "socialista" est data.

59/60 nescio quis / nescio cur: quod eis temporibus Francogallorum resp. parum stabilis videbatur.

62 haec tibi pauca satis a. corr.: haec retulisse satis ex corr. sed contra metr. (cfr Amor. 112).

66 Pistoris: significatur, ni fallor, Georgius Boulanger (1837-1891) tribunus militum reip. infestus, qui medio a. 1889 in exilium (Bruxellas) profectus est.

68 impudens: secunda syllaba perperam producta.

71 cave ne: vereor a. corr.

scilicet errabat, reges hic esse regentes 75
 et non Crispinos omnia posse ratus.
 Rex tamen infelix subscripserat ipse libello:
 «Torminibus crucior; Tu, miserere mei!»
 Ast durum breviter responsum redditur illi:
 «Papa gravat stomachum, colica nulla iuvat». 80
 Austriacum funesta palatia praeterlapsus,
 recta Petropolin convolat inde via.
 Russorum Caesar cunctorum opulensque potensque
 pauca in praesidium pectora fida rogat;
 postulat et flagrum, nullus quod deterat usus, 85
 arcem, quam Dynamis rumpere nulla queat.
 Quippe ita Nilistas mox in nihilum interituros
 et... lectum atque cibum sic fore tuta sibi.
 «Tene», Nigellus ait, «te pectora fida rogare?»
 Lustra Siberiam, pro!, ibi multa nimis. 90
 Caecane displosae Dynamis tu fulmina vitas?
 At fomenta palam congerit ecce Zola!
 Pessimus, o mihi crede, cuniculus impia mens est,
 arx populi pietas optima, crede mihi.
 Flagrum detrivisti insontia terga flagellans, 95
 iam Deus ipse tibi debita lora parat».
 Inde Hagam Comitum. Dein... Sed iam carmina galli
 invitum revocant atque redire iubent.
 Hagrae quid fuerit responsum quidve petatum
 forte rogas? Frustra! Providus ora premo. 100
 Hoc tamen adiciam: me terque quaterque beatum,
 umbra privato cui latitare licet!

Rudolphus van Oppenraaj

*Hoc carmen cur vulgarim nunc forte requiris:
 quae fuerint causae dicam. Tres esse docebo: prima,
 quod huc remeat (celebrans natalia) sanctus Nico-*

76 Crispinos: mea sententia agitur de Francisco Crispi (1818-1901) viro (politico) Sanctae Sedi inimico.

80 "Qui mange du Pape, en mourra" (Iosephus Maria de Maistre (1753/4-1821) philosophus, qui Lugduni a. 1819 edidit librum c.t. Du Pape) mg. add.

80 colica = colice.

81 Austriacum... lapsus (v. spondiac.!): Austriacum praeter funesta palatia lapsus a. corr.

82 Petropolis = Petroburgum, nunc Leninopolis.

83 Caesar: Alexander III (1868-1918), imperator vetustati propitius.

87 Nilista = Ni(c)hillianista (cfr Helfer s.v., qui Cangium adfert; heic vero usurpatur sensu ni fallor alio, huic voci a Turgenievo aliisque indito).

90 Siberia = Sibiria.

92 Ecce Zola: sigmatismum animadvertas; agitur de Aemilio Zola (1840-1902) scriptore celeberrimo "socialistis"que non inimico.

laus, pueris grata ut munuscula donet; ipsi Maurus adest male morigerosque flagellat. Scito etiam, quae legisti latitantia cunctis carmina, quinis ante quater lustris meditata esse: tenes, quam quaesisti, causam, ecce, secundam. Tertia causa erat haec, aetas quod proxima nobis scriptores satirae prope nullos auribus hausit sermonis Latii gnaros. Ast unde reperta sit satira inquiris. Servatur Noviomagi, quo congesse- runt socii tabularia Iesu. Quis scriptor, ne quaesieris: te namque Melissa, quae lucem vidit vigesima nona, docebit: quem librum nonam replicato ad paginam, amabo.

Theodoricus SACRE Belga


*

* *

IN MEMORIAM JANI ŠPRINCL

Janum Šprincl amicum, quocum mihi epistolarum erat commercium, die V mensis Novembris Brunae e vivis excessisse magno cum dolore comperi. Qui annos abhinc LXXII prope Theominum Silesiorum natus atque in universitate Brunensi edoctus, ibidem postea doctor omnibus viribus enisus est, ne litterae neolatinae in patria Morava penitus interimerentur. Ob id ipsum medicam Latinitatem provehendam curavit et, cum Lexicon scriptorum Latinorum Praegae esset edendum, recentiores recentissimosque Latinitatis auctores inseruit, quorum de vitis et operibus certior esset factus. Idem compluribus interfuit conventibus Latinis litteris linguaeque fovendis, ut de scriptorum antiquorum fama fortunaque apud posteros verba faceret Latine. Erat et ipse validus poetarum vulgarij interpres Latinus novis experimentis non impar. Janum ex epistolis, versibus, opusculis cognoram virum eruditum, humanum, affabilem, amore linguae Latinae correptum. Sit ei terra levis.

Theodoricus SACRE



"SAPPHO FINNORUM"

Si vir notus adveniret,
ante visus appareret,
osculum offerrem ori
lupi sanguine sudanti,
dextram iungerem cum dextra,
licet serpens insiliret.

Ventus mentem si haberet,
vernus flatus intellectum,
verbum ferret et referret,
multas voces commoveret
inter duos diligentes.

Dapes potius dimittam
assis praesulum amissis
quam dimittam praedilectum,
quem pellexi per aestatem,
totam hiemem temptavi.

Se venisse quello che conosco
se quello che vedevo prima si facesse rivedere
gli appiccicherei un bacio
anche se avesse sulla bocca sangue di lupo
gli stringerei la mano
anche se avesse una serpe sopra le dita.

Se il vento potesse capire
se l'aria di primavera avesse la lingua
porterebbe una parola e la riporterebbe
farebbe girare molte parole
tra due innamorati.

Lascerei il buon mangiare
dimenticherei l'arrosto del presbiterio
piuttosto che lasciare il mio caro
dopo averlo reso arrendevole nell' estate
persuaso nell'inverno.
(Roberto Wis, *La più bella poesia d'amore finnica*,
1974)

*

Käm' der liebe Wohlbekannte,
Völlig so wie er geschieden;
Kuss erkläng' an seinen Lippen,

Hätt' auch Wolfsblut sie gerötet;
Ihm den Handschlag gäb' ich, wären
Seine Fingerspitzen Schlangen.

Wind! o hättest Du Verständnis,
Wort' um Worte trügst Du wechselnd,
Sollt' auch einiges verhallen,
Zwischen zwei entfernten Liebchen.

Gern entbehrt' ich gute Bissen,
Priesters Tafelfleisch vergäss' ich,
Eher als dem Freund entsagen,
Den ich Sommers rasch bezwungen,
Winters langer Weil bezähmte.
(Volfgangus Goethe, *Finnisches Lied*, 1810)

*

Jos mun tuttuni tulisi,
ennen nähtyni näkyisi,
sillen suuta suikkajaisin,
olis suu suden veressä;
sillen kättä käppäjäisin,
jospa käärmä kämmenpäässä.

Olisko tuuli mielellisnä,
ahavainen kielellisnä,
sanan toisi, sanan veisi,
sanan liian liikuttaisi
kahden rakkaan välillä.

Ennen heitän herkkuruuat,
paistit pappilan unohdan,
ennen kuin heitän herttaiseni,
kesän kesyteltyäni,
talven talvuteltuani.

Mense Martio anno 1799 Josephus Acerbi Italus
et Andreas Fredericus Skjöldebrand Suecus in Fin-
niae urbem Turku (Suetice Abo, unde Latinum nomen
Aboa) venerunt, ubi poetam Franciscum Michaeli
Franzén convenerunt. Qui viatoribus carmen popu-
lare Finnicum «Jos mun tuttuni tulisi» monstravit
eiusque versionem Francogallicam a se ipso factam
dedit. Horum uterque carmen in sua de facto itinere

relatione publicavit, Skjöldebrand Francogallice (Voyage pittoresque au Cap-Nord, 1801, 1805²), Acerbi autem Anglice (Travels through Sweden, Finland and Lapland to the Nord Cap, 1802).

Franzén narraverat poetriam, quae versus fecisset, fuisse puellam rusticam Bothniensem, quae absentem amicum desiderans hos versus composuisset. Forsitan fuit ancilla apud plebanum paroeciae suae (cfr v. 10).

Iam Henricus Gabriel Porthan, professor Turkuensis, partem carminis noverat et anno 1778 publicaverat (De poesi Fennica, p. 370). Wolfgangus Goethe, qui versionem suam «Finnisches Lied» appellavit, versus ex opere Skjöldebrandi acceperat.

Acerbi poetriam his verbis laudat (op. cit. p. 318): «This Finnish Sappho, amidst all the snows of her ungenial climate, discovers all the warmth of the poetess of Lesbos (haec Sappho Finnorum, inter altas nives caeli plagae inhospitalis, omnes animi fervores poetriae Lesbiae proprios invenit)».

Anno 1842 Carolus Gustavus Zetterquist, vir Suecus Stockholmiensis, qui materiam ad studium linguisticae comparativae colligere volebat, circa 1400 epistulis per totum orbem missis huius carminis versiones a peregrinis petivit. Accepit 467 versio-

nes differentes, in 371 linguas factas. Haec autem materia numquam fuit publicata. Exstant tamen duo manuscripta, unum in bibliotheca Societatis Litterarum Finnicarum, alterum Gothoburgiae Suecorum.

Versio Roberti Wis prosaice carmen Finnicum satis accurate interpretatur. Goethe autem, quamquam structuram Finnicam eodem rhythmico imitatur, in secundo versu significatum adeo mutavit, ut parallelismum sententiarum perderet. Versum octavum omnino neglexit, saepius vocabula, quae in Finnico textu desunt, addidit et sententias poetica libertate tractavit. Latina versio, quam iam anno 1986 feci, et rhythmum et structuram et sententias carminis Finnici quam accuratissime servat, quia indoles linguae Latinae ad poesim Finnicam interpretandam aptior est quam linguarum Romanicarum et Germanicarum. Adde quod versio Italica continet 87 vocabula, Germanica - etiam uno versu omissa - 70, Latina 53, Finnicus textus originalis 49. Cum carmen Finnicum et eius Latina versio ita eodem fere vocabulorum numero sint composita, versus rhythmi Latini similiter sonant et legentibus et auscultantibus quam Finnicum carmen.

Thomas (Tuomo) PEKKANEN

FUNDATIONIS MELISSAE NOVISSIMUS LIBER :

FABULA FICTA CUI TITULUS EST

UBI SUNT ?

CHRISTIANO VERBIST AUCTORE

QUAM FABULAM IN LATINUM VERTERUNT GAIUS LICOPPE ET FRANCISCA DERAEDT

SUMMA: Georgius munus habet in Officio Securitatis Generalis. Inquisitio quaedam secretissima et perdifficilis ei aliquando mandatur: inveniendum est cur in civitate plures pluresque homines sine explicatione dispareant. In angustias adductus alias difficultates, magis privatas, patitur, ut in hoc capitulo excerpto (p. 55) legitur:

"Conside; venias ad cenam. Visne holera? Sumas paulum vini. Soli sumus; per fenestras apertas afflatus vespertinus cortinas tremefacit. Hiems finitur: de fertis cogitare licet. Ista inquisitio certe nobis est impedimento, sed aenigma mox solvemus. Confido.

Raro fit ut tranquilli una simus fruamurque dulcitudine horae. De decennio unionis nostrae tecum colloqui velim. Olim, cum somno mane excitabar, molliter prope me cubans me iam spectabas: quanto amore oculi tui nigri me mulcebant... Hodie

me vix vides. Ego nunc prior expergescio, ego nunc te inspicio.

Quid nunc sibi vult vita nostra communis? Nihil respondes. Timeo ne amor mortuus sit. Sub eodem tecto aliquando non iam vivemus. In praetorii limine inter nos valedicemus. Tu abibis.

Post aliquot annos te in via fortasse adspiciam. Stolam fortasse habebis quam non novero. Vir quidam te fortasse comitabitur. Ego autem solus attonitusque stabo.

Specta: vesper nunc rubescit."

pretium: 200 FB



DE LINGUA AEGYPTIACA ANTIQUA

Lingua Aegyptiaca antiqua seu hieroglyphica tria fere milia annorum duravit et in usu permansit. Mira quidem illa diuturnitas, de qua tamen altae linguae haud immerito gloriari possint, sed multo plus admirationis movere nonne id debeat, quod, usque a primis inscriptionibus in regum pyramidibus et nobilium sepulcris incisis, lingua hieroglyphica quasi perfecta et omnibus numeris absoluta apparet, nullo haesitationis aut dubitationis vestigio in scribendi aut sensus exprimendi ratione usquam comperto, ut in plerarumque linguarum initis inveniri solet? Quod non significat linguam illam per tot saecula et temporum vicissitudines immutabilem omninoque sui similem permansisse; nam, temporis decursu, ut in omni lingua contingit, nova vocabula, novae structurae grammaticales, novae litterarum figurae oriri non desierunt, cum alia senescerent vel plane obsolescerent. Sed linguae ratio ipsa generatim eadem permansit, donec primum linguae demoticae - in sermone saltem, sed non semper in scriptis -, deinde linguae Copticae concessit, quarum una propriis litteris scribebatur, altera autem Graecas litteras, nonnullis propriis additis, assumpserat; quamquam utraque ex lingua hieroglyphica orta erat, ut Italica et Gallica ex Latina, quod Champollioni, doctissimo viro, qui Copticam linguam penitus didicerat, hieroglyphica legere et intellegere nitenti, maximo adiumento fuisse constat. Lingua Aegyptiaca igitur, summam, in tres linguas pro temporibus diversas dividi potest:

- antiquam seu hieroglyphicam, ab anno MMD a.C.n. ad annum CCCXCIV p.C.n., quo usus eius a Theodosio imperatore vetitus est;
- demoticam, a saeculo septimo a.C.n. ad saeculum quintum p.C.n.;
- Copticam, a tertio saeculo p.C.n. ad saeculum septimum decimum, quo obsoleta facta est in sermone, quamquam adhuc hodie in liturgia Ecclesiae Copticae adhibetur.

Hieratica vero, quae vocatur, non est lingua, sed hieroglyphicas figuras scribendi ratio, celerior et facillior, in papyris usurpata, ut nos, cum manu scribimus, aliter litteras delineamus quam in monumentis insculpuntur.

Nunc, si ad linguam Aegyptiacam antiquam ipsam, demotica et Coptica omissis, redimus, eam tres formas vel species, procedente tempore, induisse invenimus, quae cum Regni Aegyptii condicionibus vicissitudinibusque fere congruunt. Etenim lingua Aegyptiaca quae Vetus dicitur in usu fuit, quamdiu Imperium Aegyptium Vetus (quod vocatur) duravit, quod sex primas regum familias (seu dynastias) complectitur. Qua lingua in Pyramidum inscriptioni-

bus usi sunt, iam omnino perfecta, ut diximus, sed non sine quadam ieiunitate. Quam secuta est lingua quae Media dicitur, ut Imperii Medii tempore orta, et quasi lingua classica habetur, qua pleraque litterarum Aegyptiacarum monumenta omnis generis conscripta sunt: textus religiosi et historici, fabulae, narrationes, poemata, epistulae. Hac lingua, exempli gratia, compositum est poema «Mors spes mea ultima» quod infra exponitur (cfr p. 15). Classicam eam haud immerito vocari manifeste confirmat, quod in monumentis publicis usurpari numquam desit, etiam postquam in sermone et in litteris privatis linguae demoticae, ut diximus, concesserat. Denique linguae, quae Nova dicitur, usum induxit saeculo quarto decimo a.C.n. Pharaonem ille clarissimus Akhenaton, qui, non contentus religionis mutatione, qua in dei Amonis locum Atonem, deum unicum, sufficere voluit - unde rex hereticus vulgo vocatus est -, omnia publica et privata novae instituit, primae fortasse ab hominum memoria «culturalis commutationis» auctor. Akhenaton mortuo, religio, artes, mores, cetera restituta sunt ut antea, excepta scribendi ratione, quae, ut ita dicam, duplex facta est, cum lingua Media seu classica in monumentis publicis iterum adhiberetur, lingua Nova autem, sermoni cottidiano proprius, in ceteris scriptis, ut Akhenaton instituerat, usurparetur, donec linguae demoticae cessit, ut supra diximus.

Hactenus de linguae Aegyptiacae historia. Nunc ad linguam ipsam.

Numeratur lingua Aegyptiaca in linguis quae Chamito-Semitaicae dicuntur, inter quas linguae Semitaicae ut Hebraica et Arabica, linguae Lybico-Berbericae ut lingua Berberica et Targica, linguae Aethiopiae non Semitaicae, multaeque altae commemorari possunt. In lingua Aegyptiaca, ut in ceteris eiusdem generis linguis, litterae (vel soni) consonantes multo maioris momenti sunt quam vocales, adeo ut in plerisque earum linguarum, Aegyptiaca non excepta, hae omnino non scribantur. Itaque in lingua Aegyptiaca legenda nos quidem vocabulorum vocales cognoscere non possumus, et in textibus hieroglyphicis phonetice transcribendis consonantes solas scribere nobis licet. Quae sunt viginti tres numero, ut in «alphabeto» ostenditur (cfr p. 14). Quod ut omnes sonos qui in lingua exprimuntur, consonantes saltem continet, ita multum abest ut omnes figuras, etiam phoneticas, amplectatur. Etenim hieroglyphicis suis Aegyptii una simul sensus effingebant, et, quasi per litteras, verborum sonos significabant, vel potius aliis figuris sensus, aliis sonos (ut quae «alphabeto» continentur), aliis, haud paucis, modo sensum modo

sonum declarabant.

Sed - rogabit aliquis - si solae consonantes scriptura ista significantur, quomodo vocabula et sententiae legi et pronuntiari possunt? Huic quaestioni respondere conati sunt priores Aegyptologi, et eorum primus Champollion ipse, lingua Coptica utendo, in qua, Graecis litteris scripta, omnes vocales inveniuntur. Sed, brevi tempore, hos conatus irritos et inutiles esse compertum est, quia primum lingua Coptica in complures dialectos dividitur ipsis vocalibus differentes, deinde quia inter linguam Aegyptiacam Mediam et linguam Copticam duo fere milia annorum intercesserunt, denique quia non verisimile erat evenire posse, ut inter Aegyptium antiquum et Aegyptologum hodiernum sermo ullus sereretur! Itaque contenti esse debemus, quod legere et intellegere possimus, quae tot saecula arcana et occulta permanserint, etiamsi non novimus quomodo antiqui linguam suam pronuntiarent.

Ceterum, quo facilius homines hodierni inter se intellegerent, dum de lingua Aegyptiaca tractant, inter Aegyptologos convenit, ut haec pronuntiandi ratio ab universis adhiberetur:

- semivocales i (j) w y pronuntiandae quasi vocales essent: ĭ ū ĩ

- duae consonantes gutturales litteris Hebraicis "aleph" et "ayin" respondententes (translitteratae 3 et 4) pronuntiandae: ă et ʾ

- inter ceteras consonantes inserenda est vocalis ě, ut legi facile omne vocabulum possit.

Exempli gratia, poematis quod infra proponitur prima strophæ, quae his litteris phonetice transcribitur:

iw mwt m hr-i min
mi snb mr
mi prt r-hntw r-s3 hit

hoc modo pronuntianda est:

iū mūt em heri min
mi seneb mer
mi peret er khentū er-sa hit.

Lingua Aegyptiaca, praeter suam scribendi rationem, quam singularem et satis difficilem esse negare non possumus - quamquam figurarum numerus hieroglyphicarum multo minor est quam Sinensium ideogrammatum, exempli gratia -, haud dissimilis linguarum nostrarum est. Omnibus enim partibus orationis nobis cognitae praedita est, et omnibus sententiarum generibus; verborum autem ordo certus immutabilisque erat, nisi ex scriptoris proposito, ut in linguis quae casibus carent fieri solet.

De poemate quod «Mors spes mea ultima» inscribitur.


Poema, cuius textus hic descriptus est (cfr p. 15), libelli cuiusdam pars est, quem Aegyptologi «Dialogum viri ab omni spe destituti cum anima eius» vocaverunt, qui vicesimo primo saeculo a.C.n. conscriptus esse videtur, temporis spatio illo miseriarum et commutationum pleno, quod post Imperii Veteris ruinam (sextae Familiae ultimis annis) et ante rerum restitutionem a regibus undecimae Familiae inceptam intercessit. Libellus prologo incipit et epilogo concluditur, utroque sermone soluto conscripto, inter quos quattuor poemata inseruntur, quorum tertium hic descriptum est.

Libelli autem argumentum est huiusmodi: vir ab omni spe destitutus, cunctis rebus publicis et privatis funditus perturbatis, animam suam alloquitur et ei persuadere conatur, ut vitae suae communi ambo finem faciant, dum anima eum hortatur ut «diem carpat» et omnes curas dimittat, donec ambo ad finem suum naturalem perveniant. Cui vir quattuor poematibus respondet, se iam nihil aliud optare praeter mortem. In epilogo tamen, quasi viri desperatio ipsius querelis et lamentationibus tandem mitigata, immo funditus sublata esset, vir et anima consentiunt, ut discessus sui diem aequo animo exspectent, post quem iterum congregaturi, omnibus curis laboribusque liberati, una beate victuri sint.


Georgius Andreas BERGERE

LEGATIS NOMINA REGUM !


Hoc est scripturae hieroglyphicae proprium, quod nomina regum reginarumque intra formam ovatam inscribuntur. Ita fieri potuit ut homines docti nomina ab aliis signis seiungerent scripturamque facilius intellegerent. Haec nomina, e.g., leguntur in celeberrimis anaglyptis:



→ Nefertiti, cuius nomen significat: "Pulchra venit"



→ Ramses II, quo significatur: "Ra eum peperit; ab Amone amatur"



→ Sesostri I: "Advenit par del Rae"

"ALPHABETUM" AEGYPTIACUM ANTIQUUM

figurae	translitteratio	pronuntiatio usitata apud modernos	res depictae
	3	a (re vera: consonans Hebraicae 'aleph' similis)	vultur Aegyptius
	i	i (rarius a) (re vera: consonans inter litteras Hebraicas 'jod' et 'aleph' media)	arundo florens
	y	i (re vera: consonans 'jod' geminata)	arundo florens
		a (re vera: consonans Hebraicae 'ayin' similis)	bracchium
	w	ū (re vera: semivocalis ut in voce Latina: vivo / uiuo)	coturnicis pullus
	b	b	crus
	p	p	sella
	f	f	cerastes
	m	m	noctua
	n	n	aqua
	r	r	os
	h	h (Hebraicae 'he' similis)	cohors, area saepta
	ḥ	ḥ (Hebraicae 'ḥeth' similis)	ellyphnium e lino nexo confectum
	ḫ	kh (ut in voce neograeca ἔχω (habeo))	placenta (?)
	ḥ	kh (fortasse ut in ἔχεις (habes))	ubera et cauda
	s	s	pessulus lintheum duplicatum
	š	š (vel sh/ch, ut in voce Gallica "chat" (feles))	lacus
	ḳ	ḳ (Hebraicae 'qoph' similis)	collis declivis
	k	k	corbis ansata
	g	g	sella, basis urnae
	t	t	panis
	tš	tš (ut in voce Italica "ciao" (vale))	compedes
	d	d	manus
	dž	dž (ut in voce Italica "oggi" (hodie))	serpens

"MORS SPES MEA ULTIMA !"

POEMA EXCERPTUM E LIBELLO AEGYPTIACO Q.I.:

"DIALOGUS VIRI AB OMNI SPE DESTITUTI CUM ANIMA EIUS"

SAECULO XXI A.C.N. COMPOSITO

iw m(w)t m hr-i min
est mors in facie mea hodie

mi snb mr
sicut sanatio aegri

mi prt r-hntw r-s3 hit
sicut exire foras post casum

iw m(w)t m hr-i min
est mors in facie mea hodie

mi st(i) cntyw
sicut odor myrrhae

mihmst hr ht3w hrw t3w
sicut sedere sub velis die venti

iw m(w)t m hr-i min
est mors in facie mea hodie

mi st(i) sšnw
sicut odor lotorum

mi hmst hr mryt nt tbt
sicut sedere in litore ebrietatis

iw m(w)t m hr-i min
est mors in facie mea hodie

mi w3t hyt
sicut via trita

mi iw s m mšc r pr-sn
sicut redit vir ex expeditione ad domum
suam

iw m(w)t m hr-i min
est mors in facie mea hodie

mi kft pt
sicut revelatio caeli

mi s sht im r hmt n-f
sicut vir abreptus hinc ad ignotum sibi

iw m(w)t m hr-i min
est mors in facie mea hodie

mi 3bb s m33 pr-sn
sicut cupit vir videre domum
suam

ir-n-f rnpwt cš3wt it m ndr
(postquam) egit annos multos captivus in
carcere

DE DOMO LATINA

DIE 16 M. DECEMBRIS BRUXELLIS INAUGURATA



Saturni die 16 mensis Decembris, hora tertia, oecus c.n. «Domus Latina», quem instruxit Fundatio Melissa (64 bte 74 Avenue Albert Elisabeth - 1200 Bruxelles), paratus erat ad invitatos sodales accipiendos. Quadraginta circiter undique confluxerunt, etiam ex longinquis regionibus, ut Genovesa Immé ex Aquitania et Thomas Pekkanen ex Finnia. Refertissimus fuit oecus ubi vinum spumans mox auxit hilaritatem. Gaius Licoppe brevia verba introductoria fecit, quibus salutavit, omnibus gratias egit et proposita Domus Latinae adumbravit. Ibi praecipue fiet institutio Latina viva, de qua in proximis numeris fusius referemus. Etiam erit sedes circuli Latini Belgici; qua occasione data Gaius Licoppe de utilitate circulo- rum Latinorum iam conditorum condendorumque haec memoravit: «Nonnullis in regionibus Europaeis conduntur circuli Latini, quorum utilitas mihi videtur esse triplex:

- reperire in sua quisque regione homines satis multos

sed dispersos, qui linguam Latinam plus minus sciunt, necnon eos qui tantum linguae Latinae fa- veant;

- deinde, sermonem Latinum vivum exercere, et scrip- ta Latina, imprimis hodierna, legere;

- denique inter sodales scriptores invenire, qui de materiis diversis, cum antiquis tum hodiernis, attrac- tive disserere valeant.»

Tres deinde oratores auditorium verbis suis excel- lentissimis delectaverunt: Doctor Caestis Eichen- seer de ubertate litterarum Latinarum decursu tem- porum rettulit, Professor Theodoricus Sacré de Roma Tullia, quae est utopica civitas Latina a Michaele Olmo excogitata, Doctrix Sigrides Albert de vivo modo lin- guae Latinae docendae. Quae acroases in extenso di- vulgabuntur in periodico c.t. "Vox Latina". Denique verba gratulatoria facere voluerunt Genovesa Immé moderatrix periodici c.t. "M.A.S." et Inga Pessarra moderatrix circuli Latini c.n. "L.U.P.A.". Vespertino tempore plerique una gaudenter cenaverunt in cau- pona ubi suum cuique veruculum assare licuit.

Speramus fore ut haec nova Domus Latina effica- citer contribuere possit ad Latinitatem vivam quam maxime dilatandam.

UTER VERUM DIXERIT...



... ex hoc photographemate mense Novembri (die 9) anno 1989 facto patet responsum...

Postquam in numero 29 Melissae relationem quan- dam edidimus de muro Berolinensi, prof. Iohannes Irmischer Berolinensis Orientalis haec verba ad nos misit: "*Quae Francisca Deraedt domina doctissima in numero 29 Melissae de muro Berolinensi deque Bero- lino Orientali scripsit erroribus, mendaciis, calumniis referta ad vitam pacificam populorumque amicitiam vix sunt idonea.*"

Hoc autem ei rescriptum est: "*Quod Iohannes Irmischer, professor praeclarus, propter scriptum de muro Berolinensi stomachatus videtur esse valde mira- tur Francisca Deraedt; nihil enim narravit nisi id quod suis ipsius oculis vidit. Praeterea, si tanta est intra murum iucunditas vitae, eadem non intellegit cur tot homines vitam perdidierint cum eum transire conaren- tur, neque cur nunc temporis tot homines circuitum per Hungariam Austriamque faciant ad regiones petendas ubi liberius respirare licet.*"

Quis credidisset fieri posse, ut paulo post homines liberati in muro sederent ut conspicitur in hoc photo- graphemate? Quid de hac mutatione cogitat prof. Irmischer?